

Incipit confectio antidotorum diuersarum.

Confectio hadriani

Notus omnibus qui ex profundo mortis reducit et adducit ad pristina sanitatis quod a grecis dicitur aucora. davis exinde ad magnitudine faue egyptiace cum aqua calida, stomatici<s> cum pusca calida, nefreticis cum uino albo, spleneticis cum aqua calida, lapide in uissica habentibus et qui orina cum dolore faciunt cum apozema et qui ex perfrictione febriunt, ad tertianas, ad quartanas ad ora refugent, dentes uero dolentibus et cauis ut grano antidoti positus prodest ad sanguine excreantibus cum pusca frigida, sciaticis cum sapa aut idromelle, inflatione patientibus cum aqua calida omnem perfrictione ex-pelle. Ad tusse qui patiuntur cum mel attico dispumato. Facit ad omnes morsum serpentum cuius sanis si uolueris uirtute antidoti prouare includet gallum simul et serpente aspero, serpe ueneno suo occidit gallu, ponis ergo de antidoto in ore siue in aure mox reuiuiscit.

Confectio sua hec est: Calamo aromatico <VI, costo <III, sisileo <XII, cardamomo <III, capsamo <VII, ameo <III, sagapino < III, murra — I, cipero <VI, piper albo — II S, oppio <XXX, croco — I, eufuruio <III, piretro <III, iosquianio — III, rosa sicca <III, petroselino <III, opubalsamo < VIII, smirnion <III, xylocassia <I, amomu <III, mel dispumato quod sufficit.

Antidoto gera

qui facit propter capitis dolore et subito angustia patiuntur et ad ipilenticus et qui subito incurront in colera nigra et ad pectoris dolore et omnes corporis necessitate. Accipiendo uero est autumni tempore.

Aloe epatite <II, croco <II, reupontico <II, agarico <VIII, diagridio < II, xylobalsamo < II, piper albo <I, piper nigro < I, piper longo <I, squinuantus <I, gentiana <I, amomi <I, costo <I, camidrius <VI, interionis <II, mel quod sufficit. Dauis in aqua calida primo die <I, secundo die II, tertia die I. Cum ad uentrem purgandum uolueris ad potionis unius < I addis scamonia I, agarico < II.

Antidotum ad intercedendas febris

Optimum autem faciens ad tussem, ad eos qui multo tempore tussiunt, ad pleureticis, dessentericis et eos qui diu febricitant, soluit autem quartana, tertiana ante ora media accessionis dato, depunit mintrua mulieris post ualneo accepto cum mel et uino.

Croco < IIII, sulfor uiuo VIII, oppio VIII, iosquiamo XII, storace XII, davis magnitudinis egyptiacis.

Antidotum qui facit ad omnes passiones et dicitur lexoperitus

Non solum ad febres facit cum calda aut mulsa sed et tibicis febricitantibus omnibus curat, davis ad modum auellane ante ora una aut duas, quartanaris enim plus utimur, in tertia potione soluitur tipum.